



A

T

# ACCUBITUM

ad agnum Paschalem,

Hebræorum veterum,

ad illustrandum accubitum Servatoris  
cum discipulis,

PRÆSIDE

## THEODORO DASSOVIO,

Ling. S. & Oriental. reliq. P. P.

collatis cum aliis sententiis  
publice defendet

RESPONDENS

## M. SAMUEL GIERINGIUS,

Ruthena Silesius,

Ad d. Maji, A. M DC XC VIII.

*In Auditorio Majori.*

---

VITEMBERGAE RECUSA,  
LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI, (4)  
ANNO M D C C X IIII.



05 A 646



**V**T accubuerint Hebræi veteres, si Hierosolymis Paschalem agnum ederent, illud eruere viri Græce Latineque docti magna contentione industriæ aggressi sunt, adjecisqve imaginibus subjeerunt oculis. Inter qvos præcipui sunt *Johannes Baptista Villalpandus*, in *Explanationum in Ezechielem Tom. i. edit. Romanae in fol. p. 293.* Hieronymus Mercurialis de arte Gymnastica edit. Amstelod. in 4. p. 77. Petrus Ciacconius, de Triclinio edit. Amstelod. in 12. p. 98. Jacobus Philippus Tomasinus de Tesseris hospitalitatis edit. Amstel. in 12. p. 143. Mathias Flacius in Clave scriptura sacra edit. Jenens. in fol. p. 1175. & Joan. Philip. Pfeifferus in tabula antiquitatibus Gracis praesixa, & in eundem libro 4. 6. 34. edit. Regiom. & Lips. in 4. p. 699. seqq. Qvi licet aliqua idonee commententur, nondum tamen omnia, qvæ dicieam in rem ad Hebræorum mentem possunt, dixisse videntur iis, qvi Hebræorum instituta solertius indagant. Unde operæ erit pretium, aliqua uberioris adjicere, nonnulla qvoqve modeste emendare, ut sua veteri isti ritui inter eruditos certitudo constet. Atque, ut totares meliori ordine expediatur, paucis il-

(4)

Iam thesibus divina gratia recensebimus. Sit itaque

THESIS 1.

*Accumbebant Hebræi, non assidebant mensæ.*

§. I.

Non inficiamur eqvidem, in Ægypto adstitisse mensæ in Paschalicena Hebræos veteres, sed illud non observabatur Hierosolymis, sicut nec succincti erant tum temporis, nec baculos tenebant manibus, nec sanguinem illinebant postibus, qvin potius accumbebant mensæ, qvi accubitus erat corporis reclinatio in lecto, & describitur a Maimonide in *Hilchot Chometzumazza c. 7. §. 8. edit. Venet. minoris in fol.*

אפיקו ענו שבישראל לא יأكل ער ט. 246. p. 1. f. 246. T. 1.

שיטב אשה אינה צריכה הסיבה ואם אשה חשובה הוא  
צריכה הסיבה וכן אצל אכפו ווחשש בפני רבו צריכין  
הסבירה אבל תלמיד בפני רבו אין מיסב אלא אם  
כן נתן לו רבו רשות וחותמת ימינו אין לו הסבירה וכן  
המיסב עלعرفו או על פניו אין זו הסיבה ואיתמי צריכין  
הסבירה בשעה אכילת כוה מצחה ובשתייה ארבע כוסות הallow  
ושאר אכילתו ושתויתו אם הסיבת הרי זה משוכחה ואם  
לאו

לֹא אִין צָרָךְ : Etiam pauper in Israele non edat, nisi accubuerit. Femina non obligabatur, ut accumberet; si tamen esset femina honorata, accumbere debebat. Filius quoque apud patrem, & servus, coram Domino accumbere debebant. Sed discipulo coram magistro non licebat accumbe-re, nisi impetrata a Magistro licentia. Neque accubitus in dextrum (latus), habebatur pro accubitu. Neque si quis accumberet, reclinans se in servicem, vel prorsum jaciens in faciem, erat accubitus. Quandonam autem requireba-tur accubitus? Eo tempore quo ederent, vel ad olivæ quantitatem panem azymum, & cum biberent quatuor pocula illa (paschalia;) quod si quis reliqua quoque ederet, vel biberet accumbendo, magis laudabatur; quodsi non, nec cogeba-tur.

## §. 2.

Ille autem accubitus non erat præcise circularis, nec probari illud ex eo potest, quia vocatur חסיבח & מסכֶב. Nam licet istæ voces a Radice סרב deriventur, quæ significat circuivit, ambivit, non tamen præcise circuitus & ambitus circularis indicatur, quoniam & ipsum nomen סביב, quod circuitum notat, etiam de circuitu quadrato adhibetur, quando sanguis dicitur spargendus circum altare holocaustorum, quod tamen altare quadratum erat, & corona dicitur circa mensam panum facierum facienda, quæ mensa itidem non rotunda, sed quadrangula erat. Unde Kimchius in libro Radicum edit. Venet. in fol. 320. per סכוב & רקפה si-  
ve ambiendi & cingendi verbis accubitum describit, nec figuram tantum circularem attendit; Unde &

A 3

ver-

verbum רקיַת ambivit etiam de ambitu altaris accipiatur, a Maimonide in librum Mischnicun Tamid. c. 7. §. 3. edit. Rivenensis in fol. f. 392. p 1. (ubi de sacerdote summo altare ambiente sermo est,) qvod tamen non figuram habebat circularem. Itaque licet accubitus circularis in usu fuerit fortassis, non tamen videtur tam fuisse communis, qvam accubitus quadratus.

## §. 3.

Hinc melius expresserunt accubitum Servatoris cum discipulis Hieronymus Mercurialis, Ciarconius, & Tomasius, utpote qvi mensæ quadratae accubuisse illos arbitrantur, quam expressit Villalpandus, qvi mensæ rotundæ accubuisse autumat, sicut etiam communiter effigiali rotunda mensa solet a pictoribus qvi, hunc accubitum vel in altaribus vel alibi delineant.

## §. 4.

An autem accubitus partim sedentis partim jacentis fuerit, qvia verbum ישב accumbere, & verbum ישב sedere conjuguntur a Maimonide, in titulo de benedictionibus c. 7. §. 1. inquiri debet. Buxtorffio qvidem juniori ita videtur in dissertatione sexta de cœna Domini edit. Basiliens. in 4. p. 307. qvi præterea p. 309. qvia illa duo verba a se invicem distingvuntur, juxta Mischnam de benedictionibus c. 6. hinc Hebræos etiam sedendo cibum capere consueisse opinatur. Cui qvidem summo viro libera sententia relinqvitur, negari tamen non potest verbum ישב etiam de accubitu dici, juxta Jarchium in Ester. c. 1. imo verba Mischnica de benedictionibus c. 6. allega-

הו יושבין כל אחד מברך לעצמו חסנו אחר: non debere verti: si sedeant, unusquisque benedicit pro se ipso, si vero accumbant, unus benedicit pro omnibus, quo etiam sensu verba illa vertit Samuel Clericus in Massechet Berachoth, sive titulo Talmudico, in quo agitur de Benedictionibus, Precibus, & gratiarum actionibus Oxonia in 8. edito p. 19. sed potius cum Paulo Riccio, in versione Berachoth debere Latine ita enunciari: Recumbentibus quibusdam ad comedendum (ad singulas mensas) singulatim, unusquisque benedit seorsim; si recubuerint (simul,) unus benedicit omnipium nomine.

## S. 5.

Itaque ad Hebraeorum mentem dici potest, ad agnum paschalem accubuisse tantum judæos priscis temporibus, licet deinceps ad aliarum nationum & populorum imitationem pascha seculis sequentibus sedendo celebrarent. Proinde recte Ioannes Lundius, im öffentlichen Gottesdienst der alten Hebräer ed. Slesvicens, in 8. p. 276. solum accubitum negata sessione defendit, & fatis bene probat, licet autores Christianos, Hebraicæ literaturæ gnoscos, magis sequuntur quam Hebræos ipsos.

THE-

## THESIS 2.

*Accumbebant, inclinando corpus in  
Latus sinistrum.*

## §. 1.

Hujus ritus mentionem injicit David Kim-  
ebius in libro Radicum edit. Venet. in fol. p. 320. il-  
lumque ad omnem cibum, qvi ab Hebræis, edebatur,  
accommodat, his verbis: שחרת ררכם לישב על המأكل  
והמשתה סביר סביר ובעה אכילהם ושתותם הם נסמכים  
על צד שמאלם ורף השיכות קראו גם לסתמיכת ה絲בה  
והרע כי לא קראו לשום סמיכה בעולם הסיבה כי אין  
בעת האכילה והשתה שורכם לשברת סביר:  
*quia consuetudo illorum erat, collocare se ad cibum & potum  
circum circa (mensam,) & tempore, quo comedebant, & bibebant,  
in latus sinistrum inclinabant se, honoris ergo,  
vocabant etiam inclinationem accubitum; scias  
autem nullam unquam inclinationem (corporis) dictam  
fuisse accubitum, nisi (factam) eo tempore, quo edebant &  
bibebant, quia solebant collocare se circa (mensam.)*

## §. 2.

Idem non modo Hebræis, sed & Græcis Roma-  
nisque in usu fuit probat Joh. Henr. Heideggerus, in hi-  
storia sacra Patriarcharum Tomo posteriore, exercitatione  
deci-

decima edit. Amstelod. secunda in 4. p. 319. & 320. ubi inter alia ita scribit: *Accumbebant autem reclinata supera parte corporis incubitum sinistrum, infera in longum porrecta, ac jacentes capite leviter erecto, dorso a pulvillis modice suffulso.* Sed quæ de parte corporis infera in longum porrecta commentatur, ad Hebræos non pertinebant sed ad alios populos, ut ex thesi tertia constabit.

## §. 3.

Consentit Joan. Gvilielmus Stuckius, in *Antiquitatum Convivialium libro secundo c. 34. edit. Tigur. infol. fol. 255. p. 1.* scribens: *de quo sic Lambinus in illud Horatii Od. 27. lib. 1.*

*Et cubito remanete presso &c.*

*Hoc corporis habitu ac situ caenabant Graci fere omnes & Romani illi veteres, accumbentes scil. & cubito innitentes non sedentes: cuius rei complures in ruinis & parietinis Italie vestigia ac monumenta vidi.*

## §. 4.

Modum autem inclinati corporis in cubitum sinistrum delineat Jacobus Sponius in *Miscellaneis eruditæ Antiquitatis, in dissertatione de Tripodibus figura 5. & 7. edit. Lugdun. infol. p. 118.*

## §. 5.

In primis vero Hebræorum inclinationem  
B COR-

corporis describit *Majmonides* in loco *supra cit.*  
*Chametz umazza c. 7. S. 8.* his verbis: וְהַסִּכְתָּה יְמִין אֲנֵה הַסִּכְתָּה כָּוֹן הַמִּסְבֵּב עַל עַרְפּוֹ או עַל פָּנוֹ אֵין זוּ חַכְמַת Accubitus in dextrum latius non erat accubitus; ita quoque si quis accumeret (reclinando corpus) in cervicem, vel (jacendo pronus) in faciem (sive pectus), non erat accubitus. Qvibus paria leguntur in *Piske Haroschf. Ascher.* subnexis titulo de *pascbade* edit. Amst. in fol. f. 139. col. 3. num. 20. Et in *Schylchan Aruch*, in *Orach Chajim*, *Josephi Karonis*, edit. Venet. in 8. f. 146. col. 3. ubi hæc reperiuntur verba: כְּשֶׁהָוָא מִסְבֵּב לֹא וְתַחַת עַל גַּבְיוֹ וְלֹא עַל יְמִין אֲלָא עַל שְׁמָלוֹ: Cum accumbit (Judæus) non inclinet se in dorsum, vel in faciem, nec in dextram, sed in sinistram.

## S. 6.

Licet vero cum Romanis accubitum hunc haberent Hebræi veteres communem, non tamen in ea re Romanos fuerunt imitati, posteaquam in illorum redacti potestate erant, siquidem illam inclinationem corporis in latus sinistrum signum libertatis, & etiam tempore templi primi, hoc signum libertatis, quod liberi ex Aegypto exierint, ita obtinuisse afferunt. Qvam in rem scribit *Zarchius* in *Pesachim* c. 10. edit. Amstel. in fol. f. 108. מצה, צורכה הַסִּכְתָּה כְּשֶׁוּכָל מצח (Judæus) Panis azymus accubitum requirit, quando edit (Judæus) panem azymum ex præcepto, (divino) nocte prima (paschali) ut liberi homines, quia hoc est memoria redemptionis. Unde

Unde descendere in sententiam. P. Ciacconii de Triclinio p. 98. non possumus, arbitrantis: qyod Hebraei jam inde a Pompejo in ditionem potestatemque Romano-rum redacti (ut erat ea gens in iis, quæ patriis legibus non obviarent, in adulationem profusa) ad victoris dominantisqve populi instituta, se viciusqve sui rationem accommodaverint.

## THESIS 3.

*Accumbabant alter ad genua alterius, ut pedes protenderentur in terram, quod dicebatur, in sinu accumbere.*

## §. I.

Hujus rei vestigia leguntur in Gemara capitulis 10. Pesachim fol. 108. p. 1. ubi dicitur: עין אבירכנא רחדרי' כל אחר נשען qvæ explicantur a Jarchio in b. l. qvilibet innitebatur genubus alterius, (si accumberet.) Et Jarchius in Gemaram Berachoth f. 46. p. 2. edit. Amstel. in fol. hanc in rem ita commentatur: טני לו למתה הימנו שם הוזרך גודל: Secundus infra illum (primum accumbebat) ut si primus vellet loqui cum illo, deberet se erigere.

## §. 2.

Qvod autem pedes protenderent in terram perspicue docet idem Jarchius, in Berachoth

B 2 -

loc.

בזמנ שתי מות רגילין היו loc. cit. quando scribit: לאכל בחתיבה על צדו השמאלית מותה ורגילו לארץ  
*Eo tempore, quo duo erant lecti, solebant edere accumbendo, (inclinantes se) in latus sinistrum, ut quis jaceret, & pedes protenderet in terram.*

## §. 3.

Romanis quoque in usu fuisse, ut alter in alterius sinu accumberet, & hoc in primis obtinuisse, si viri cum uxoribus carent, elegantissimis imaginibus illustrat Hieronymus Mercurialis, de arte gymnastica lib. 1. edit. Amstel. in 4. p. 61. & 62. ubi tamen appareat, supra maritorum quoque genua uxores accumbere; quod iudaeis insuetum erat. Inde propius ad Hebraeorum mentem accedit accubitus a J. Lipsio delineatus edit. Venetiensis in 8. Tom. 3. ad p. 884. 885. ubi alter ad alterius accubit genua, nisi quod pedes non in terram cum iudeis protendant, sed in lecto accubitorio relinquant.

## §. 4.

Quam in rem rectissime ac eruditate scribit Antonius Bynius de morte Iesu Christi lib. 1. c. 5. p. 407. edit. Amstel. in 4. Qui in lecto istiusmodi, qui interdum quidem unum tantum capere poterat, interdum vero locum praebebat duobus, sapientem autem tribus, aliquando etiam quatuor aut quinque, infra aliquem cubabat, accumbere dicebatur in illius gremio vel sinu. Ita enim in sumendo cibo recumbebant in lectulis, reclinata super aparte corporis in cubitum sinistrum, ut capitibus quidem introrsum ad epulas, pedibus ve-

ro extrosum porrectis, adeoque sequens accumberet in sinu prioris. Quædeinde fusius adductis exemplis probat. Qvando autem in præcedentibus commentatur ead. pag. *Vetusissimis temporibus sedisse ad mensam, ut nunc solitum est, non accubuisse Hebraeos, ac tandem introductum apud eos accumbendi in lectis morem, adulazione ut credibile est Chaldaeorum Assyriorumque, qui remansit in valuitque, Grecorum ac postremo Romanorum exemplo, a quibus subiecti fuerunt domitiique, superius ostensum est prolixè, non videtur sibi consentientes habere Literatores Hebraeos. Nam verbum יישב /edit, si de cœna paschali adhibetur, idem significat quod accubuit.* Præterea anteqvam in Romanorum redigerentur potestatem, iudæos accubuisse Hebraei asserunt; qvamvis sedisse illos quoque, si non ederent paschalem agnum, non negetur.

## THESIS 4.

*Accumbebant aliquot personæ in eodem lecto, et diversi adhibebantur lecti.*

## §. I.

Legitur qvidem in titulo *Berachot* f. de benedictionibus c. 7. edit. Amstel. in fol. f. 46. pag. 2.

כיצר סור היסכרא כוֹטֵן שְׁחָן שְׁתִי מַטוֹת גְּדוֹלָה מסכ' בראש ו שני לו למיטה הימנו כוֹטֵן שְׁחָן שלש מטו'ת גְּדוֹלָה מסכ' ברא /שני לו למיטה הימנו שלישיו למיטה הימנו:

Qvomodo se habebat accubitus? quo tempore erant duo lecti, præcipius accumbebat primo loco, & alter infra eum; quo tempore erant tres lecti, præcipius accumbebat primo loco, secundus supra illum (sive ut explicatur in Tosephoth h. l. ad primi sinistram ut cervicem primo obverteret) tertius infra illum (ut jaceret ad ejus genua.) Qvibus paria reperiuntur in Cœeph Mischne in Majmonidis tit. Berachot c. 7. Sed ista verba loquuntur de eo casu, si cœnarent vel pranderent tres vel duas personæ seorsim, non vero ibi sermo est de cœna paschali, utpote ad quam non quilibet in peculiari accumbebat lecto, sed accumbabant aliquot in eodem lecto.

## S. 2.

Hinc Cl. Joannis Lightfooti verba in Math. 26, v. 26, edit. Roterdamens. in fol. 1. 2. p. 378. non videntur cœna paschali congruere, quando scribit: Facem præbent hac historiae isti Joan. 13. 23. 24. ubi Petrus, ut videtur, ab occipite Servatoris recumbens, loco poste eum primo, non potuit cum eo colloqui, & de proditore sciscitari: supra caput ergo Christi Joannem prospiciens ruitu eum excitat, ut interroget. Is loco a Christo secundo sedens, obversaque in illum facies sciscitur. Nam si Petrus Christo cervicem obvertisset, non inclinasset se in latus sinistrum, quod omnes qui cœna paschali accumbabant, facere tenebantur, sed inclinasset se in latus dextrum; Quid quod hæc verba, ut diximus, non de cœna paschali, sed alia cœna vulgari explicari debeant, ubi non præcisæ reclinatio in sinistrum latus requirebatur.

## S. 3.

## §. 3.

Idem quoque Cl. Buxtorfius in *dissert. 6. de cœna Domini edit. Basiliens. in 4. p. 306. & 307.* affirmat, ubi ex hoc accumbendi ritu, in cœna vulgari usitato, accumbendi ritum servatoris cum discipulis interpretatur.

## §. 4.

Sed si in horum vitorum gratiam iste accubitus ad cœnam paschalem applicetur, sicut multi Philologi Christiani illum huc referunt, dicendum foret, sodalitium paschale ex paucissimis constitutum tunc personis, si quilibet proprium haberet lectulum; & fortassis ab iis judæis inclinationem in latus sinistrum non fuisse adeo rigore observatam, in primis si essent homines illiterati, quia tunc secundus a primo in dextum latus se inclinabat.

## §. 5.

Qvodsi vero majora sodalitia consideremus, quæ interdum ad 20. personas extendebantur, & ad illa referamus sodalitium Servatoris cum discipulis non possumus non afferere, plures personas in uno accubuisse lecto; Qui tamen numerus quinque personas fortassis non excedebat, qvod discitur ex lotione manuum quæ cibis subjungebatur. Scribitur enim in Berachoth c. 7. cit. fol. 46. p. 2. מִבְּנֵי אֶחָרֹנִים בְּזַמָּן מִתְחִילֵין מִתְחִילֵין מִן חֶגְרוֹן וּבְזַמָּן שָׁהֵם מִתְחִילֵין מִתְחִילֵין מִן חֶקְטוֹן עַד שְׁמָגְעָוָן אֶצְלֵהוּ Si aqua post cibum (ad loti-

lotionem manuum porrigerentur,) quo tempore erant quinque (qui accumbebant,) incipiebant a precipuo, & quo tempore erant centum, incipiebant a minimo, donec pertingerent ad quintum. Mensa vero removebatur ut commodius lavarent.

## §. 6.

Non autem cum viris foeminæ in iisdem accumbebant lectis, nec servi aut infantes, utpote qui ne in eodem quidem sodalitio multo minus in eodem unius sodalitii lecto tolerabantur. Verba Majmonidis *banc in rem prolata in Hitchoth Korban Pesach c. 2. §. 4. edit. Venet. secunda P. 3. f. 277. p. 1.*

אין עושין חבורה נשים ועבדים או קטנים ועבדים מפני שלא היה קלות ראש בינהן אבל עשו חבורה כולם נשים אפילו בפסח שני וכולםעבדים — — וכן אין עושין חבורה כולה חולין או זקנים או אוננים Non constituebant sodalitium (paschale) ex feminis, & servis aut infantibus & servis, ne leviter inter se agerent; sed constituebant sodalitium ex meris feminis, etiam in paschate secundo, & ex meris servis — — ita nec constituebant sodalitium totum ex egrotis, aut senibus, aut lugentibus. Ita etiam apud Græcos in conviviis virorum non accumbebant mulieres, ceudocet Julius Caesar Bulengerus de conviviis edit. Lugd. in 8. p. 77.

## §. 7.

## §. 7.

Le<sup>c</sup>t<sup>i</sup> illi, ut se habuerint, indagari poterit qvo-  
dammodo, ex descriptione lectorum R. Simsonis, qui  
est Baal hattosephoth, & in titulo Celim edit. Amstelod. in  
fol. f. 26. seqq. lectorum formam recenset. Nempe le-  
cti erant ex funibus texti, ut funes ultra le<sup>c</sup>tos prodi-  
rent (fol. 29. p. 2. in f.); & qvidem texti per crucem, ut  
funus in longitudinem & latitudinem extenderen-  
tur. (fol. 30. p. 1.) & lectus ita funis textus facile dissolvi  
in suas partes posset (fol. 30. p. 2.) qvibus lectis impone-  
bantur primo omnium tapetes lanei, qvi si viri præci-  
pui accumberent, supponebantur stratis, & ad mul-  
torum palmorum longitudinem infra strata promi-  
nebant; (fol. 31. p. 1.) qvos tapetes etiam ex lino aut pi-  
lis constitisse Majmonides in b. l. ass<sup>e</sup>rit. Deinde inster-  
nebantur tapetibus strata, qvæ itidem ultra lectorum  
prominebant longitudinem (f. 31. p. 1.) Stratis ejusmo-  
di imponebantur pelles (f. 38. p. 2. & f. 54. p. 2.) Crura  
autem lectorum perforata erant utrinque, ut longitu-  
do & latitudo le<sup>c</sup>ti ingrederetur in crura, qvæ erant. 4.  
(f. 30. p. 1.) solebatqve cruri alicui alligari agnus pascha-  
lis, anteqvam macaretur, ut eo melius præcaveri im-  
mundities ejusdem posset (f. 31. p. 1.) Particulæ qvoqve  
ligni, qvæ vocabantur Malbenim, supponebantur  
cruribus, ne putrescerent, si immundum esset pav-  
mentum, (f. 29. p. 2.)

## C

## §. 8.

## §. 8.

Qvæ ulterius a iudæis explicantur. Nam idem Simson lectos fuisse funibus intertextos repetit in Mischnam Oboloth f. 55. p. 1. & f. 61. p. 2. & Nathan in Lexico Aruch. f. 142. edit. Venet. in fol. col. 2. lectos fuisse oblongos scribit. Annulum quoque ferreum lecti pedes constrinxisse statuit Maimonides in Mischnam Oboloth edit. Rivensis in fol. f. 273. p. 2. Denique lectorum altitudinem non nisi decem palmorum fuisse assertur in Piske Tosephoth subnexis titulo Menachoth numero 80.

## §. 9.

Pulcherrime his congruunt, qvæ leguntur in Zearchie Bogan Archaeologii Atticis lib. 6. sect. 2. c. 3. ed. Oxoniens. Anglico idiomate scriptis in 4. p. 278. ubi pellibus fuisse rectos etiam Græcorum lectos ex Aristophane, tapetibus autem fuisse stratos ex Homero, & denique accubitum inclinatione in cubitum sinistrum factum ex Euripide doce eleganterque probat.

## §. 10.

Strata autem lectis imposita qualia fuerint, discutitur ex doctrina de Carim & Cesathoth sive Hebræorum pulvinaribus majoribus & minoribus. Erant illa ex corio; ut docet Simson in Celim fol. 25. p. 2. & 32. p. 1. Unum substernebatur capiti, alterum corpori, fidem faciente Bartenora in tit. Celim s. de vasis c. 16. S. 4. & c. 20. §. 1. ubi assertur quoque, quod lana vel plumis reple-

ren-

rentur; & in tit. de lavacris c. 10. §. 2. Qvæ confirmantur in Lexico Aruch edit. Ven. in fol. f. 81. col. 4. & a Majm. in tit. Cetim c. 20. §. 2. Implebantur etiam stramine vel Muchin sive mollibus linteis juxta Simsonem in tit. Obeloth f. 69. p. 1.

## §. II.

Si autem sciscitemur, super quid sternentur ista strata, non existimandum est qyod super tabulata altiuscula fuerint extensa, ut Hieronymus Mercurialis de arte gymnastica p. 8. arbitratur. Nam illa strata sive pulvinaria majora & minora imponebantur lectis ex funibus contextis; neqve sola illa pulvinaria vocabantur lecti, sed illæ funium texturæ, una cum pulvinariis lecti appellabantur.

## §. 12.

Videntur quoque cum lectos illos ascenderent detraxisse calceos, sicut etiam Petrus Ciacconius & Fulvius Ursinus Romanos detractis calceis nudis accubuisse pedibus demonstrant. Unde rectissime concludit Antonius Bynæus in libris de calccis Hebraeorum, curis secundis recognitis, & auctis edit. Dordracene in 4. p. 157. apud iudæos eundem morem viguisse, prout ex Evangelica historia, in qua Servator & Apostoli more Romanorum illius ævi accumbebant, observarint viri eruditæ. Sed quando ibidem addit: ita non incepit homines eruditæ ad hunc morem retulerunt hoc summi Numinis preceptum, quo Israëlitæ Pascha comedere jussit calceatos, ut bas in re Paschale convivium etiam a reliquis differret, ne cal-

ceos deponerent, qvod pransuri aut cœnaturi solebant, intel-  
ligi de Paschali convivio Aegyptiaco, debet, qvoniam  
in paschali convivio, si Hierosolymis institueretur,  
calceos æque ac in aliis conviviis Hebræi depone-  
bant.

## §. 13.

Calcei illi interdum erant scandalia, cujusmodi  
calceum depingit Kapbelius in Omeck batacba f. 42. p. 1. e-  
dit. Cracov. in 4. & describitur in Mto, in Seder Mad. Na-  
scibim, Iscbutb &c. in Piske Schabat qvod superius essent  
pelle tecta, inferius ex ligno, vel ex alia re dura consti-  
terint, & partem superiore cum inferiore clavis fu-  
isse connexam circum circa.

## §. 14.

Lectos illos cum stratis plane omisit Flacius in  
*Clave in voce sinus*, qvia forte non nisi accumbendi mo-  
dum describere volebat, sine lectis.

## §. 15.

Qvomodo autem vocabulum חַטָּה qvod lectum  
significat, cum aliis lingvis congruat, explicat Ludovicus Thomassinus in Glossario Universali Hebraico edit. Par-  
is. in. fol. f. 617. Cujusmodi vocum aliarum lingva-  
rum ex Hebreæ lingva derivationem tentare quoque  
conatus est, sed non paricum Thomassino instituto in  
voce עַוְלָה aliasqve Marcus Meibomius, in Davidis Psalmis  
duo-

duodecim, & totidem S. Scriptura & V. T. integris capitibus  
edit. Amstel. in fol. ad Gen. c. XI.

## THESES 5.

*Mensæ, ad quas accumbebant,  
quadratae erant.*

## S. I.

Mensæ Hebræorum, si non omnes, attamen maximam partem videntur fuisse quadratae, (sicut & Salomonis mensæ quadratae erant) & quidem initio habebant parvas mensas, ex facilibus decorticatis factas, & vel unum vel duos cubitos in latitudine continentes, cujusmodi mensæ mentio fit a Simione in tit. Celim. f. 37. p. 1. Deinde ex lignis construebantur parvæ mensæ, de quibus legantur Piske Harosch sive Ascher, subnexæ titulo Pesachim, f. 139. col. 2. Si vero sodalitium convivantium esset majus, etiam majores adhibebantur mensæ, quæ habebant pedes, ut scribit Simson in Celim f. 34. p. 1. & 36. p. 2. Erant etiam in usu mensæ duplices, qualem delineat Jacobus Kaphei in Omerk hala-cha edit. Cracov. in 4. f. 41. p. 1. Fuisse autem quadratas colligitur ex Simone in Oboloth f. 64. p. 2. ubide immunditie mensarum disputatur, & illas fuisse quadratas ac pedes se habuisse instar arcæ, cuius tegumentum & latera in longitudinem porrecta avulsa essent, indicatur.

C 3

§. 2.

## §. 2.

Altitudo mensæ erat cubitus cūm dimidio, ut  
Hebræi docent; cubitus autem erat communiter  
palmorum sex, adeoque commode ad hujusmodi  
mensas accumbebat, inprimis cum & lecti essent  
humiles, & sine fatigatione concenderentur.

## §. 3.

Qvia autem mensæ quadratae erant, hinc etiam  
qvælibet qvatuor constabat pedibus, qvod recte obser-  
vat jam laudatus Hieronymus Mercurialis p. 79. qvam-  
vis unum vel duos tantum pedes p. 77. delineet.

## §. 4.

Qvodsi in integumenta mensarum inqviramus,  
licet facile largiamur, pro dignitate patris familias, si  
ille rex vel princeps esset, fuisse elegantiora & majo-  
ris pretii, tamen si de ordinario civium convictu loqua-  
mur, communiter testæ videntur fuisse mensæ corio.  
Mappas enim coriaceas memorat Majmonides in P. 3.  
*Mischne Tora, ed. Venet, in Hilchoth Celim. c. 27. §. 6. in librum  
Mishnicum Celim. c. 6. §. 4. ubi scribit: וְסֻכּוֹתִי הוּא כָּלִי  
מַעֲרֵר אֲשֶׁר יַאֲכִלוּ עַלְיוֹן, super qvod cibum capiunt,*

## §. 5.

Denique non existimandum est, qvæsi semper  
suspenderentur lampades supra mensam, si cœnatu-  
ri

ri iudæi essent. Nam poterant etiam candelabris altioribus imponi lucernæ oleo repletæ, ut lumen cœnstantibus præberent. Hujusmodi candelabrum cui lucerna imposita est, ære incisum exhibet Michael Angelus Causcus, de la Chausse in Romani Musæi Rome in fol. editi sectionis 3. tabula 12, quam tabulam f. 79. ita interpretatur: Candelabris uebantur veteres, cum rem divinum faciebant: in illis figebantur candela & funiculi ardentes vel etiam lucerne olearia ponebantur, minus tamen ad lumen exhibendum, quam ad sacrificii decus & maiestatem.

## THESIS 6.

*Accumbebant velatis capitibus.*

§. I.

Hæc obvelatio discitur ex Gemara Berachotb edit. Amstel. in fol. f. 51. p. 1. ubi dicitur, qvod poculum paſchale reqvirat עיטוּ five obvelationem capitis. Attendit quoque illam C. Lightfootus, qui in Hor. Hebr. in Matb. 26. edit. Roterod. in fol. T. 2. p. 380. col. 1. ita scribit: עיטוּ obvelatio i. e. ut Rabb Papa, velat se & consideret, ut R. Issai sudarium expandit in caput suum, כוֹטֵל בָשָׂר וְדַי poculum accipit manu utraque, at dat in manum dextram, elevata mensa, oculos in illud fixit &c. sunt qui dicunt donec imperit suis.

§. 2.

§. 2.

Facile quoque probari potest ex regulis vivendi & ceremoniis Hebræorum veterum. Nam illi nullas preces, nullas benedictiones recitabant nisi velatis capitibus, quarum precum & benedictionum historiam fuse interpretatur Campegius Vitringa in Synagoga veteris lib. 3. pars. 2. cap. 13. seqq. edit Franeqverana in 4. p. 1022. seqq.

§. 3.

Itaque cum benedictiones etiam in paschali cœna recitandæ essent, vel ad pocula paschalia, vel etiam benedictiones post cibum sumptum, utique velari caputa debebant, ad minimum eo tempore, quo recitabantur.

§. 4.

Non autem videtur, quod obvelarint capita istis velaminibus, quibus utebantur in synagogis, cum preces recitabant, quæque habebant adjecta penicula-menta, sive Zizijoth. de qua veste conferatur Maj. in P. 1. edit. Venet. minoris in fol. in Hilchot zizith. fol. 93. p. 2. f. 49. & seqq. Ita quidem asserit Gilbertus Genebrardus in Chronographie lib. 2. edit. Paris. in fol. pag. 220. ubi ita scribit: quarto (induit pater familias) tunicam huc vestem quadrangulam manicarum expertem, quæ reliquis omnibus indu-

indumentis super impositae et quatuor angulis, sive extremitatibus emittit filaretorta, sive fimbrias Num 15. ubi hoc vestis genus in precibus, & solemnibus imperatur, Moses Thisit appellat, iudai bodie Tallith, quasi involucrum sive indusum non admodum differens ab Ephod lineo, quo aliquando David usus est &c. Nam cum his sacris ornamentis celebrabatur non tantum cœna paschalis sed & Aphiocomim &c. Sed tamen nullum est hujus rei vestigium apud veteres. Itaque potius velasse se iudeos sudariis dicendum est, quibus alias creberrime extra precum utebantur tempora. De hac obvelatione capitum, quæ siebat sudariis, legitur in *Bartenora*, in *Celim* c. 29. §. 1. Neque sola capita, sed & partem tegebant corporum, ut testatur *Maj.* in libro de *Sabbato* c. 19. §. 19. Unde colligaria cursoribus solebant ne illos in cursu impiderent, ut scribitur in *Lexico Aruch. edit.* *Ven.* in fol. f. 148. col. 3. in init. Interdum etiam sudariis duobus vela bantur capita, quemadmodum legere est in *Schibble Leket b. edit.* *Ven.* in fol. f. 13. col. 4. Erant autem communiter ex lineo, ut passim Hebrei inculcare solent.

## THESES 7.

*Accumbebant tantum ad aliquos  
cœna paschalis cibos.*

§. I.

Docetur hoc in *Kizzur Piske Harosch subnexis titulo*

D

Pe-

Pesachim cap. ult. §. 20. ed. Amstel. in fol. f. 139. col. 3. verbis  
 סאה עריכת הסכה כוית ראשון וכוית של אפיקומן: ואם אכל بلا העבה צריך לאכל פעם אחרת  
 ווין נמי בשי הסכה כל ד' כוסות: ואם שחאןocabla והסכה  
 צירך לשתייה פעם אחרת בחתוכה וצריך לבדר עליו ומרור  
 Panis azymus requirebat accubitum, etiam si  
 tantum instar olive de primo (pane azymo comedisset,)  
 & instar olive de Apbicom. Quodsi edisset sine accubitu,  
 debebat iterum edere altera vice. Vinum quoque require-  
 bat accubitum, ad omnia q. pocula (paschalia). Quodsi  
 bibisset, sine accubitu, debebat bibere altera vice accum-  
 bendo, & debebat recitare benedictionem super illud (pocu-  
 lum.) Herba autem amara non requirebat accubi-  
 tum.

## §. 2.

Paria his reperiuntur in Schibble Leketh in Hitchoth  
 Pesach edit. Venet. in fol. f. 29. col. 4. in fine, ubi simul ac-  
 cubitus in sinistrum latus, & feminarum honorata-  
 rum accubitus explicantur, ac fol. 30. col. 1. copiose de  
 herbis amaris illarumque speciebus differuntur.

## §. 3.

Videtur quoque ad agni ipsius comeditionem re-  
 quisitum utique fuisse accubitum.

## §. 4.

## §. 4.

*Qui autem ad omnes accumbere cibos hujus cœ-næ cupiebat, facere illud poterat; sed ad aliquos ita ne-cessario reqvirebatur accubitus, ut sine illo frustra e-derentur.*

## THESIS 8.

*Accumbendo lavabantur manus  
post cibum sumptum.*

## §. 1.

Hoc luculenter docet Majm. T. I. in *Hilchoth Berachoth* c. 7. §. 11. ו 12. verbis seqventibus: גמרו מלאכול: משלקין את השולחן ומכברין את המקום שאכלו בו ואחר כך נוטלים את דוייה שמא ושירוש שם פירורי שיש בהן כוחה שאסור להלך בכאן ולרוחץ עליון אבל פירורין שאין בכאן כוחה מותר לאבחן ביר: היכאו להם טעם לנטילה כל שمبرך ברכות חמצו והוא נוטל ידיו תחלה כרי שלא ישב חגרול ידיו מזוהמתה עד שיטול אחר ושאר חסועדיין נוטלים ידו בסוף זה אחר זה ואין מכברין ברכך ברכך וזה שאין מכברין בירוק מזוהמות ולא בגשרו ולא ברכוכיס

Si desinerent edere, removebant mensam, & everrebant locum, ubi comederant; deinde lavabant manus suas. Fortassis enim relict & ibi erant mica, oliva habentes quantitatem, quae concutari non debebant, nec super illas lavari. Sed mica non habentes oliva quantitatem poterant manus perdi. Cum allata essent illis aqua ad lavandum, quicunque benedictionem post cibum recitabat, (sive præcipuus conviva,) lavabat manus suas primo loco, ne accumeret præcipuus manibus sordidis (& exspectaret) donec alius lavisset; postea reliqui conviva suo ordine lavabant demum, neque in eo querebant honorem, quia in manibus sordidis non querebant honorem, nec in pontibus, nec viis (uter præcederet.)

## S. 2.

An autem accumbendo manus laverint quoque ante cibum inquiri adhuc debet? Fatetur quidem Majmonides in Hilchoth Chamez Umazza c. 8. §. 1. quod primo recitarint cum poculo vini benedictionem diei, deinceps laverint manus, & postea allata mensa fuerit herbis amaris, oleribus, panibus azymis, pulmento &c. instructa. Si itaque illam benedictionem diei, quæ lotionem præcedebat, accumbendo recitarunt, quod probabile, nondum certum est, dici etiam potest, quod accumbendo manus laverint ante cibum.

THE.

## THESES 9.

*Accumbendo recitabant  
Hallel.*

S. 1.

Hoc Hallel sive canticum Aegyptiacum continebat Psalmos aliquot, videlicet Psal. 113. 114. 115. 116. & 118.

S. 2.

Recitabatur autem Hallel accumbendo, quia recitabatur ad duo pocula paschalia. Pocula vero bibebantur accumbendo, & quidem pars Hallel prior nempe Psalmus 113 & 114. recitari solebat ante poculum secundum, cum explicatus infantibus agnus paschalis cum herbis amaris, & aliis, quae hoc pertinebant, esset; pars autem altera nempe Psalmi sequentes recitabantur ad poculum quartum, sicut haec omnia describit Majm. l.c. Chamez Umazzac. 8.

D 3

S. 3.

Non vero solum ad coenam sed & ad agni ma-  
 & tationem Hallel solebat recitari ut idem do-  
 cet Maj, in Korban Pesach c. 2.  
 S. II. § 12.



05 H 646

ULB Halle

004 217 020

3





**Farbkarte #13**

